



JESU FORTUNANTE!

JOACHIMI FELLERI, P.P.
& Bibliothecarii Academici

ORATIO

De

BIBLIOTHECA ACADEMIÆ LIPSIENSIS PAULINA

In ſolenni XIX. Philoſophiæ Baccalaureorum Renunciatione
d. XV. April. Anno Ær. Chri. M. DC. LXXVI.
habita,
Cui duplex ſubjunctus eſt Catalogus,
Alter Manuſcriptorum Membranaceorum, Alter Manuſcriptorum Chartaceorum, in eadem Bibliotheca extantium.

LIPSIÆ,
Sumptibus CHRISTOPH. ENOCH BUCHTÆ.



VIRO
Pl. Reverendo & Praecellentissimo
THEOPHILO SPIZELIO,
Theologo Philologoqve eximio,
Ecclesiastae ad D. Jacobi apud Augustanos benè merentiss.

S. P. D.

QVam clarissimo nomini Tuo inscripsi Orationem, in vestibulo veluti Bibliothecæ Paulinæ, adytisqve illius necdum salutatis à me habita est. Qvæ res fecit, ut de thesauris illius reconditis, copiaqve Manuscriptorum inibi repositorum afferre parùm, imò planè nihil potuerim. Postqvam autem per clavium & Catalogorum traditionem liberrimus ad eam patefactus est aditus (id qvod superiore demum mense, post fata amplissimi ITTIGII, contigit) faciundum vel principe loco mihi existimavi, ut qvos numero obstupescendo in ea depræhendebam, libros Manuscriptos è tenebris plusqvam Cimmeriis in lucem protraherem. Neqve enim ignorabam, Thomasinum inter Italos, inter Gallos Labbéum, Reiserum Teqve, SPIZELI præclarissime, inter Alemannos in publicandis Manuscriptorum hinc

hinc inde latitantium Catalogis fuisse occupatos. Exemplo itaqve vestro instimulatus pulpita Bibliothecæ omnia mox perreptavi insegniter, qvosq; in illis reperii libros Manuscriptos tàm membranaceos qvàm papyraceos, suo qvemqve numero annotavi, edoctusqve Bibliothecam nostrã si non pretio, at multitudine Manuscriptorũ qvamplurimas prægravare, eosdem typis publicis exscribendos curavi, & ne nihil præfloraminis haberent, Orationem, qvam dixi, tumultuariè licet & in luctu recentissimo conscriptam præmittere illis sustinui. Cæterùm cùm dispicerem apud animum, cui eruditiorum præter cæteros hoc qvicqvid opellæ est, inscriberem, Tu illicò, SPIZELI æstimatissime, occurristi, ut qvi & ipsus Bibliothecarum retexisti Arcana, & consimili aliorum labore mirificè delectaris; veniebat insuper in mentem decantatissimæ humanitatis Tuæ, qvam & ego qvondam, cùm Magistrum Philurææ nostræ longè clarissimum ageres (eram autem id temporis Thomasianæ sobolis non infelix informator) magnopere sum admiratus. Pagellas itaqve hasce Manuscriptorum Lipsiensium indices Tibi mitto, minimè omnium desperans fore, ut Academiæ, qvam Studiorum olim matrem haut pœnitendam elegeras, percurrere Manuscripta digneris, locumqve illis non planè nullum in instructissima, qvâ gaudes, Bibliotheca indulgeas. Neqve enim non grata frugi filiis esse solent, qvæcunqve à Matribus vel de Matribus dono illis mittuntur. B. V. Ecclesiæ & Reip. literariæ decus, & ex RAPPOLTO, Socero σεβασμιωτάτῳ salve qvàm amicissimè. Scrib. d. XXIIX. Augusti An. Ær. Chr. 1676.

Pl. Rev. Claritatis Tuæ studiosiss.

L. JOACHIMUS FELLERUS,
Prof. Publ. & Bibliothecarius.



ORATIO
DE
BIBLIOTHECA PAULINA.

RECTOR ACADEMIÆ MAGNIFICE,

Vosqve cæteri Auditores cujuscunqve gradûs ac ſtatûs honoratiſſimi,

DIſpicienti mihi, qvo de argumento tanqvam Promotor propitiâ ſorte lectus, impræſentiarum ad Vos diſſererem, Bibliotheca tandem Paulina, ut absqve velo rem ipſam ſtatim exhibeam, ſe mihi offerebat, cujus cura non ita pridem ob ingraveſcens venerandi ITTIGII ſenium abs Patribus Academiæ conſcriptis mihi fuit commendata. Cùm enim animo obverſarentur variorum de variis Bibliothecis tractatûs, Lambecii putà de Vindobonenſi Invictiſſimi Imperatoris Leopoldi, Corderii, Claudii Clementis & Cordonæ de Eſcuriali in Hiſpania, Panvinii, Schotti, Cicarellæ & Rocchæ de Vaticana, Braſſicani de Budenſi, Ernſtii de Medi-

cea, Gruteri de Heidelbergensi, Conringii & Schvvartzkopfii de Gvvelpherbytana, Jan.ſii de Bodlejana, Miræi de Antvverpiana, Höſchelii & Ehingeri de Auguſtanâ, Hottingeri de Tigurina, Sauberti de Noribergenſi, Coleri de Wratislavienſi, aliorumqve de aliis, non alienum qvid abs officio mihi delegato facturum rebar, ſi de Bibliotheca Lipſienſi, qvæ & librorum optimorum copiâ & loci ſplendore atqve amplitudine ſeſe oppidò commendat, verborum nonnihil in publica panegyri facerem. Dein, cùm ingenti beneficio in hac librorum, qvæ me domi affligit, penuria, mactatum me eſſe intelligerem, vel hâc ipsâ occaſione gratæ mentis indicinam me dare poſſe exiſtimabam, Danielis Heinſii exemplum, licet impari planè veſtigio, ſecuturus, qvi ſolenniſſimas Academiæ Lugduno-Batavæ Curatoribus grates pro collato ſibi Bibliothecarii munere perſolvebat. Verùm enim verò cùm in natales & incrementa Bibliothecæ Paulinæ ſciſcitatione ſat curiosâ inqviſiviſſem, me fruſtrà omninò eſſe vidi, obſtupeſcens atqve indoleſcens pariter, rem tantam tàm negligenter in hunc uſqve diem fuiſſe actam. Nihil enim hac de re Chronica Heidenreichii & Schneideri Lipſienſia, nihil Bibliothecæ Bibliothecarum, qvales Philippus Labbéus è Jeſuitis, Theophilus Spizelius è noſtratibus concinnavit, nihil deniqve Pan-

epi-

epistemones illi suppeditârunt, ad qvos in rebus creperis atq; perplexabilibus tanqvam ad oracula plusqvam Dodonæa confugere soleo. Eqvidem celeberrimũ illũ Polystistora, Johannẽ Friderichum, qvi & ipse Bibliothecarii partes obiit, de Bibliotheca Academica monumentis literarum consignâsse qvidpiam vix dubites, qvippe qvi in dedicatione Panegyrico seculari præmissa disertè profitetur, se Fastos seu Annales Academiæ hujus condidisse, in qvibus non illorum tantùm exhibeatur series, qvi rexerint, illustrârint, auxerint hanc Almam, sed & designatio perpetua aliarum qvarumcunqve rerum in Academia memorabilium, è variis monumentis eruta, & jam inde à fundatione prima ad sua usqve tempora continuo ducentorum annorum spatio deducta. Sed ubi hodiè Fasti illi Friderichiani, ubi Annales illi Academici? Affecti fortè fuerunt, non confecti, aut si confecti, perierunt haut dubiè, lucẽ certè viderunt nunqvam. Sterile itaqve, qvod fœcundissimum initiò credebam, hoc argumentum depræhendens, jam de alio qvodam agitare consilia occipiebam, cùm interim rarum & carum δῶρον τȣ̃ θεȣ̃, ANNA DOROTHEA, inqvam, mea RAPPOLTIA Uxor nulli fœminarum pietate, castimoniâ, aliisq; virtutibus secunda, qvæ novam parentis appellationem pollicebatur mihi, heu illætabile & funestum Vidui nomen, præter spem o-

mnem atqve opinionem impertiret. O infelicem me Oratorem, qvem non argumentum tantùm, ſed & lingva & mens ipſa propemodùm, ſubitaneo eoq́ve immenſo dolore obſtupidata, deficit! Et ò Maritum me longè infeliciorem, cui & ſpes ſobolis jam jam naſcendæ, & ipſa potior Cordis pars, Caſtiſſima, inqvam, Coſta præciditur! At cedendum tamen DEO tanqvam rivali omnium potentiſſimo, primæq́ve illi partes in niveam beatiſſimæ Conjugis animam relinqvendæ. Concertat enim nobiſcum DEUS, ut alicubi Johannes Conſtantinopolitanus loqvitur, dilectione & poſſeſſione Conjugum ac filiorum, qvibus maximè ineſt, cur amentur. Foveat itaqve illam φιλόψυχος DEUS in ſinu Abrahæ, æternùm foveat ac refocillet! Tu verò ANNA DOROTHEA MEA RAPPOLTIA [ut veteri formulâ utar] VALE & SALVE, SALVE, inqvam, ET POSTREMUM VALE. NOS TE EO ORDINE AC LOCO, QVO SUPREMUM NUMEN JUSSERIT, SEQVEMUR. ANNA DOROTHEA MEA VALE. Qværenti intereà pharmaca, qvæ inſtillari vulneri immane hianti poſſint, poſt ſacram ſcripturam, in qva qvilibet, dicente Baſilio, τὸ πρόσφε-

ϱϑν ἑυϱίσκει τῷ ἀῤῥωςήματι φάϱμακον, h. e. medicinam invenit ægrotationi ſuæ appoſitam, ſe iterum atqve iterum Bibliotheca Paulina offert, qvæ ἰατϱεῖον τῆς ψυχῆς, hoc eſt, Medica animæ officina non minùs, qvàm Bibliotheca Oſymanduæ Ægypti regis meretur appellari. Neqve animo excidit aurea illa Chryſoſtomi ad literarum ſtudia exhortatio, in qva omnes, qvi qvidem εὖ χαίϱειν καὶ εὖ πϱάτlειν, h. e. gaudere & benè rem gerere, immodicosqve animi motûs compeſcere cupiant, Bibliothecas adire, inqve illis alexipharmaca atqve antidota potentiſſima qværere jubet, κτᾶσϑε, inqviens, φάϱμακα τῆς ψυχῆς. In Bibliotheca itaqve Paulina, (qvod Pater miſericordiarum benè feliciterqve vortat,) allevamenta ac delenifica cataplaſmata qværam in decumano hoc luctu; utqve ejus rei fauſtum fortunatumqve auſpicium nunc faciam, de eadem Bibliotheca jam dicam, tumultuario ſtylo, qvos natales fortè habuerit, & qvibus poſteà acceſſionibus in tàm ſplendidam tamqve copioſam librorum ſupellectilem excreverit, expoſiturus. Tu, Rector Academiæ Magnifice,

Vosqve cæteri ordinum omnium ac dignitatum honoratissimi Auditores, audientiam mihi benevolam ne denegate, siqve terso dicendi genere, concinnâqve Orationis structurâ vobis haut fecero satis, (neqve enim tale qvid & temporis exiguitas & recentissimi doloris immensitas indulsit] vel simplicem tantummodò & purpurissi omnis expertem illorum, qvæ de Bibliotheca Paulina hinc & inde conqvisivi, enarrationem æqvi boniqve consulite.

Academiam Hierosolymitanam ante ultimum Urbis excidium qvadringentis Collegiis instructam, & in qvolibet Collegio Beth-Sepher seu Bibliothecam peculiarem fuisse asservatam, emunctissimus Reipublicæ Hebraicæ scriptor Sigonius memoriæ prodidit. Non absimile qvid pronunciare mihi de hac Alma licet, qvæ qvidem nec Collegiorum multitudine, nec prærogativis aliis Hierosolymitanam illam exæqvat. Nam posteaqvam illustris hæc Philuræa Collegiis dotata atqve ditata est abs Serenissimis Saxoniæ Electoribus atq; Principibus, nullum non fermè Collegium thesauro librario qvodam mactari cœperit atqve adornari. Videbant enim sapientissimi Majores, ad solidæ eruditionis fastigium adspirare vix qvenqvam sine libris & institutione posse; atqve adeò Studiosis Bursarum, ut vocabant, & Collegiorum incolis non de Magistris tantùm seu præceptoribus

bus vivis, ſed de mortuis qvoq;, h. e. libris, (à qvibus accipere licet, ſecundùm Antigoni Regis Syriæ dictum, qvod à nullo amicorum reſcire poſſes,) ſalutariter admodùm proſpiciebant. Singulas autem ſingulis Collegiis fuiſſe Bibliothecas, ſupellex libraria ad hoc uſqve tempus in illis aſſervata, indubitabili eſt argumento. Eſt enim ſua hodieqve Collegio huic Principum, qvod Majus audit, Bibliotheca, cujus conficere indicem haut piguit Virum pl. Reverendum atqve Excellentiſſimum L. Olearium, Profeſſorem publicum, & Collegii hujusdem Collegiatum longè digniſſimum. Eſt & ſua Minori Principum Collegio, qvantulacunqve etiam, neqve nihil librorum in Mariano eſſe inaudio. Clarior autem hiſce atqve auctior eſt Bibliotheca Collegii Noſtri, qvod vulgò Rubrum, aliàs Novum appellatur, eaqve in ædificio anteriori, qvod Urbem ſpectat, collocata, qvam ante qvinqve admodùm annos, cùm Bibliothecarii munere abiret Magnificus Rappoltus noſter, excutere integram, & conferre cum Catalogis à Dreſſero & Neldelio concinnatis mihi licuit. At locupletiſſima omnium & ſplendidiſſima eſt Collegii Paulini, Monachorum olim Dominicanorum domicilii Bibliotheca, cujus de origine atqve incrementis jam pluſcula dicere inſtituimus. Et in Cœnobiis qvidem ſeu Monachorum clauſtris, ſi unqvam, bonorum

librorum copiam superioribus seculis coacervatam fuisse qvotusqvisqve ignorat? Sic Bibliothecas pulchrè instructas Bononiæ ad S. Salvatorem & S. Dominicum, Parisiis ad S. Victorem, inqve aliis Cœnobiis, Benedictinæ cumprimis & Carthusianæ professionis, extare Neander πολυμαθέςατ☉ ille senex in præclarissima ac longè prolixissima præfatione, qvam Græcæ Lingvæ præmisit Erotematis, annotavit. Nec mirum in Monasteriis potissimùm fundatas fuisse atqve exstructas Bibliothecas, cùm multis à Christo nato seculis eruditio omnis non aliunde, qvàm ex antris Monasticis promanârit. Erant enim Monasteria Scholæ primitùs & Collegia libera, erant διδασκαλεῖα & φωλητήεια literatorum, ex qvibus insignes Ecclesiæ Doctores velut ex eqvo Trojano descendebant, erant, inqvam, seminaria Virorum doctorum & piarum fœminarum, sed qvæ postmodùm in stabula ignorantiæ, in ignaviæ latibula, in scelerum receptacula, in cucculligerorum, restigerorum, saccigerulorum aliorumqve id genus monstrorum tabernacula qvàm turpissimè degenerârunt. Unde graviter Megalander Lutherus in Articulis Smalcaldicis: *Collegia*, inqvit, *Canonicorum & Cœnobia olim optimâ intentione Majorum fundata ad educandos viros doctos & castas ac modestas fœminas debebant rursum converti in talem usum, ut pastores, Concionatores & alii Ecclesiarum ministri haberi*

beri possent, item alii idonei ad politicam administrationem sive ad rempublicam in civitatibus & regionibus, ac piè educatæ virgines ad Oeconomiam & liberorum educationem &c. Et Theologi Wittebergenses Justus Jonas, Philippus Melanchthon, Nicolaus Amsdorffius & Johannes Dolzius ad qvæstiones aliqvot ex aula Electoris ad ipsos missas. Satis constat, inqviunt (verba autem allegat Hornbekius Theologus Calvinianus in Disputatione ad Bullam Innocentii Xmi habita) *Satis constat, Collegia vetera, monasteria & templa initiò non fundata, constituta, regiisqve opibus locupleta fuisse ad lectionem missarum vel horarum Canonicarum deblaterationem, absque fructu & utilitate Ecclesiæ ac fidei Christianæ, quod nunc ferè fit, sed potiùs, ut juventus in sacra scriptura & religionis doctrina erudiretur. Itaqve vetera Collegia, Cœnobia & Diœceses fuerunt Scholæ juvenum Christianorum usque ad Augustini imò Bernhardi ætatem. Ad hunc finem omnia bona, facultatesque Ecclesiasticæ legatæ & donatæ fuerunt, ut inde stipendia & qvasi præmia laborum darentur pastoribus, Doctoribusqve Ecclesiarum, & sustentarentur tenues Scholastici, aliiqve pauperes, qvod veterum historiarum monumenta perspicuè indicant.* Hæc illi. Sed ad Monasterium Divi Pauli revertendum. Cujus Bibliotheca cui anno aut tempori incunabula sua debeat, dicere eqvidem non habeo. Illud certè qvidē

 con-

constat, post Canonicos Regulares, qvi Cœnobium D. Thomæ sibi vindicârant, Dominicanos seu Prædicatorii Ordinis Monachos anno millesimo ducentesimo, & nono vigesimo venisse in hanc Urbē, nec templum tantummodò Paulinum, sed & Monasterium ipsum, opitulante & Principis & Senatûs oppidani munificentiâ, satis splendidè exædificâsse. Vero itaqve absine non est, Bibliothecam Collegii Paulini jam ex illo qvoqve tempore in cunis veluti suis vagiisse. Sed nolo in re dubia Chronicisq; non insertata certi qvid affirmare, Auditores, qvin potius relictis Bibliothecæ natalibus ad augmenta ipsa, qvibus amplitudinem dignitatemqve suam indepta est, jam convertor. Habuit autem Bibliotheca nostra eandem cum Basileensi, Noribergensi, Ultrajectina aliisqve Bibliothecis fortunam, qvas post reformationem Evangelicam ex Cœnobiis non unis auctas ditatasqve fuisse Spizelius rei librariæ studiosissimus in Arcanis Bibliothecarum retectis observavit. Nam & hæc nostra post accensam Evangelii in hac Urbe facem cùm ex aliis Cœnobiis Misnicis, Pegaviensi videlicet, & Pirnensi, tùm ex Cellensi potissimùm, qvod ad Diœcesin Misenensem spectavit, perinsigne accepit incrementum. Atqve hîc sine ingratitudinis nota præteriri haut possunt ingentia Casparis Borneri, Doctoris ac Professoris Theologi in hanc Al-

mam

mam & Bibliothecam ipſam merita. Hic enim ille Bornerus eſt, Auditores, qvi ante centum & triginta præterpropter annos Academiæ onus & ſpem literarum in hac Urbe ſolus propemodùm ſuſtinuit, maximoqve animo & conſtantiſſimâ voluntate contrà iniqvitatem adverſantium pugnavit. Hic eſt, qvi Collegium Paulinum, qvod Monachorum anteà habitaculum fuerat, unà cum adjunctis pagis ſylvisqve latè patentibus Univerſitati exoravit atqve impetravit. Hic deniqve eſt, qvi Paulinū abs Mauritio, Sereniſſimo Electore & fortiſſimo Heroe donatum ædificiis adauxit, Bibliothecamqve ejus Cellenſis aliorumqve Cœnobiorum libris refarſit ac locupletavit. Ita enim Epitaphium Ejus Paulinum habet: *Caſparus Bornerus bene de ſtudiis, optimè de Academia meritus hîc conditur. Vir gravis, diligens, malis nihil largiens, in Mathematicis excellens ſcientiis, & Theologiæ Doctor. Hic Moſellanum in hoc gymnaſium primus adduxit, D. Thomæ ludum moderatus eſt annos octo & decem, quem ſuis ſumptibus collabentem in meliorem formam reſtituit. Paulinum Collegium Principis beneficio acceptum ædificiis, Bibliothecà auxit, ſemper publicæ qvàm privatæ rei ſerviens magis.* Ita, inqvam, Epitaphium ejus Paulinum habet, ſed qvale à Petro Albino Chronici Miſnici ſcriptore nobis exhibetur. Nam aliud hodiè ſtatuæ ejus in templo Paulino ſubſcriptum legitur, idqve tale:

 Aucta

Aucta quod est istis Schola Lipsidos ædibus Urbis,
Cœnobiiq; pium continuatur opus,
Quodq; Viris vario hæc Doctorum nomine claris
Palladium renovat multiplicata decus,
Principis hoc præstat bonitas, tua cura laborq;
Caspar in hac qui nunc mortuus æde jaces,
Donec in hac igitur remanebunt sede sorores,
Quas est Doctrinæ jus penes omne, novem,
Fama etiam tua Caspar erit, nomenq; celebre
Et veniet tantis dignus honor meritis &c.

Nec tacere id potuit Georgius Fabricius, Misnicorum suo tempore doctissimus judicatus, in Itinere Chemnicensi ex Italia in Germaniam. Ita enim Musa ejus Heroica in laudes Lipsiæ abrepta:

Est excelsa domus Grimmanæ proxima portæ,
Hanc Epicure tuæ coluit turba æmula sectæ,
Nunc Dux Mauritius meliorem vertit in usum,
Præmiaq; atq; amplos congestæ frugis acervos
Addidit, & juvenum studiis Christoq; dicavit.
Jamq; ibi Borneri studio, cui publica curæ
Res etiam ante fuit, multis ex urbibus aucta
Bibliotheca loco celebri claroq; paratur.

Qvemadmodũ igitur Virorum doctissimorũ deq; Rep. literaria immortaliter meritorũ imagines jam inde ab Asinii Pollionis tempore collocari in Bibliothecis consvevere, ita nõ immeritò & Borneri hujus effigies in Bibliotheca Paulina adhuc dum asservatur.

tur. Præclarè enim Seneca in epist. LXIV: *Multum, inqvit, egerunt, qui ante nos fuerunt, sed non peregerunt, Suspiciendi tamen sunt, & ritu Deorum colendi. Quidni ego magnorum virorum & imagines habeam incitamenta animi & natales celebrem? qvidni illos honoris causâ semper appellem?* Et qvi seculi sui Seneca videri potest, Lipsius in syntagmate de Bibliothecis: *Nonne pulcrum & svave oculis ac cogitationi? Naturâ trahimur ad simulacra & effigies magnorum virorum noscendas, & illa corpora sive hospitia, qvibus cœlestis se animus inclusit, ecce hîc erat.* Atq; hic oppidò optandum, ut præter BORNERI, & magni illius HULSEMANNI imagines, qvæ in Bibliotheca Paulina conspiciuntur, etiã Mosellani, Camerarii, Friderichi, Mülleri, qvos pictos Auditorium hoc exhibet, imò & cæterorum Professorũ, qvi per seculum & ultrà egregiè de hac Alma sunt meriti, Bibliothecæ eidem icones inferantur. Ita enim fore indubium est, ut splendidissimus Bibliothecæ locus adhuc majus indipiscatur decus, & Studiosi in theatrum hoc intromissi ad paria tentanda vel solo tantorum Virorum intuitu instigentur. Sed ad reliqva Bibliothecæ incrementa deveniendum. Neq; enim post Bornerum, cui fragrantes crocos & in urna perpetuum ver iterum atq; iterum exoptamus, non alii extiterunt Bibliothecæ Paulinæ instauratores & Joves veluti statores. Etenim ut

excreſcere in majus poſſet prænobile hoc eruditionis omnis armamentarium, ſalubriter à Majoribus Bornero poſterioribus ſancitum atqve conſtitutum eſt, ut nemo non ad clavum Academiæ ſedentium ex fiſco publico florenos decem eroget Bibliothecæ augendæ impendendos. Qva ex pecunia qvantum commodi atq; emolumenti ad Bibliothecā redundârit, vel redundare etiam potuerit, vel me tacente intelligere poteſtis, Auditores. Deinde & illud accumulandæ Bibliothecæ inſerviebat non parùm, qvòd exemplar libri cujuscunq; typis publicis in hac Urbe exſcripti, ex clementiſſimo Sereniſſimi Electoris mandato, inferendum Bibliothecæ eſſet. Ita namqve antiqvi commutari cum novis, aut, ſi qvi librorum recens editorum non digni ſatis tàm ſplendidâ ſede videbantur, divendi à Bibliothecario, proq; illis proficui magis ac ſalutares parari qvibāt. Videas autem & hanc librorum colligendorum rationem pausâſſe hactenus, qvā qvidem poſt diuturnā ſatis intercapedinem redinceptum & poſtliminiò qvaſi reductum iri à Patribus Academicis non deſperamus. Sed ecce alium Bibliothecæ augendæ modum, eumqve feliciſſimum, fructuoſiſſimum, prioribusqve amodò memoratis longiſſimè anteponendum, qvi Tuo auſpicio, Scherzere Magnifice, Theologe de hac Alma & Eccleſia Chriſti meritisſime, Tuo inqvam auſpicio, Tuoq; in Rectoratu, cui

anno

anno ſeculi currentis ſeptuageſimo primo tertiùm præeras, obſervari primùm continuariqve ex illo tempore occepit. Cùm enim qvilibet Studioſorum, qvi qvidem commorari ſub his Tiliis, Muſisq; operam dare induxit animum, ſacramentum dicere apud Rectorem Magnificum teneatur, bonum imò optimum factum haut abs re viſum eſt, ſi nemo non juvenum Juriſdictioni Academicæ ſe ſubjicientium pro modulo facultatum qvantulumcunq; pecuniæ ad Bibliothecam exaugendam conferret. Confectus ergo id temporis Te ordinante ac providēte, Vir maxime, libellus, cui Studioſus qvisqve Academicis ſacris initiatus & nomen ſuum inſcribat ipſe, & ſummulam à ſe Bibliothecæ deſtinatam aſſignet, præmiſſâ etiam abs Te ingenioſiſſimâ inſcriptione, factoqve per filium Johannem Adamū, ſed heu in herbeſcente ætate extinctum, initio qvippe cujus & nomen & ſymbola in ipſa fronte libri conſpicitur. Et verò experientia annorum qvamvis paucorum ſatis abundè nos docuit, ad Bibliothecæ emolumentum nihil commodius, nihil ſalutarius excogitari atqve introduci, qvàm liberales haſce Studioſorum huc accedentium ſymbolas, potuiſſe. Ut æqvum adeò omninò ſit fructus fructibus rependi, Studioſosq; tàm expromtè Bibliothecam exaugentes ad Bibliothecæ, hactenus occluſiſſimæ, perluſtrationem admitti. Verùm de

tardis

tardis duntaxat & ſuccedaneis Bibliothecæ incrementis, non itẽ de momentaneis iisqve longè maximis diximus, Auditores. Neqve enim ſinguli tantùm ſingulis ſemeſtribus in librarium hoc palatium aggeſti ſunt libri, ſed & Bibliothecæ integræ tanqvam flumina in ampliſſimum hoc mare confluxére. Et primùm qvidem commemorandus nobis venit Doctor Steinmetzius, Medicinæ, nî fallor, [nam de hoc qvoqve nihil conſignatum reperio] Profeſſor, qvi, qvicqvid librariæ ſupellectilis posſedit, poſtremis teſtamenti tabulis transferri ad publicam Bibliothecã voluit. Atq; ô factum non Reip. tantùm literariæ ſalutare, ſed & Legatori ipſi perqvã honorificum atqve glorioſum! Sic enim nomen ſuum Steinmetzius non cedro, non ſaxis, non marmoribus, ſed ipſis æternæ laudis momumentis incidit, non niſi cum Bibliotheca ipſa, qvam perdurare ad reditum uſqve Redemtoris noſtri Deus opt. max. jubeat, expungendum. Agite imitamini hunc Steinmetzium, qvotqvot libros ſine liberis relinqvitis, imitamini! Ita enim non omnes moriemini in his terris, ſed monumentum vobis erigetis

- - ære perennius
Regaliq; ſitu pyramidum altius,
Quod non imber edax, non Aquilo impotens
Poſſet diruere, aut innumerabilis
Annorum ſeries, & fuga temporum.

Stein-

Steinmetzianam autem Bibliothecam & fulgore & pondere mirum-qvantum prægravat incomparabilis illius Theologi, Johannis Hülſemanni Bibliotheca, qvæ ſumptibus Academiæ publicis comparata, inqve Bibliothecam Paulinam tranſportata eſt, tàm aliorum, qvàm Theologicorum librorum ingenti ac penè invidendo cum apparatu. Atq; hîc iterum Tua, Scherzere θεολογόταλε, Borneri atqve Hülſemanni æmule ferventiſſime, feliciſſime, vigilantia & cura, qvâ pro ſalute Academiæ & Bibliothecæ excubas, ad ſidera uſq; extollenda ac celebrāda eſt. Cùm enim ritu auctionis hactenus freqventatiſſimo diſtrahenda & veluti fruſtillatim diſcerpenda eſſet tanti Theologi Bibliotheca, Tu ſvaſor autorqve fuiſti Academiæ, ut, qvandoqvidem provinciale ſubſidium non deeſſet, cimelium hoc qvantâvis pecunia vindicaret ſibi, inqve ampliſſimo Bibliothecæ publicæ theatro conſtitueret. Nec ſvaſor tantùm fuiſti, Vir magnifice, ſed & perſvaſor. Nam & Bibliotheca & Imago ſtupendi illius Hülſemanni in Bibliotheca publica erecta eſt non ſine maximo Egregii publici decore atqve ornamento. DEUS Te ſervet, Theologorum primicerie, ſervet Te Eccleſiæ, ſervet Academiæ, ſervet Bibliothecæ, ſervet familiæ ſplendidiſſimæ, nec niſi ſerò poſt bella Domini maſculè & invictè geſta, Academiamq; ulteriùs exornatam,

redire in cœlum Te jubeat. Cæterùm imagini Hülſemannianæ inter ipſos libros Hülſemannianos conſtitutæ hi Phaleuci ſunt adſcripti, iiqve à Poëta non infelici qvodam compoſiti:

Hæc ſunt ora Johannis Hulſemanni,
Hæc eſt Bibliotheca, quam reliquit,
Almæ ſumptibus huc repôſta noſtræ
Scherzero moderante ſceptra. Mirum,
Quos tot pulpita vix tenere libros
Poſſunt, ingenium unius tenebat.

Atqve hæc illa ſunt, A. qvæ de origine & incrementis Bibliothecæ Paulinæ invitâ admodùm Minervâ & Muſis collacrymantibus conſarcinare non tàm volui, qvàm potui; qvæ putamina videri poſſunt, ſi cum nucleo, h. e. librorum in ea reconditorũ præſtantia & raritate comparentur. Sanè Codicibus optimis abundare Bibliothecam noſtrã, jam ante Hülſemannianæ Bibliothecæ acceſſionem, etiam exteris innotuit, unde & Heinſius, eruditorum ille Phœnix in epiſtola anno hujus ſeculi ſexto ad Fridericum Taubmannũ feſtiviſſimum Leucoréæ Poëtam data, eaqve Plauto ſecundæ editionis addita, exertè ſcripſit, ſe audiviſſe bonorum in Lipſienſi Bibliotheca librorum maximã eſſe copiã; Neq; aſſerere, teſte Daumio meo, dubitavit nobiliſſimus qvondã Paulini Collegii incola, idemqve Criticus admirandus Caſpar Barthius, ſe ex Manuſcriptis inedi-

editis, qvi in Bibliotheca Paulina latitent, longè plurimos Tomos, qvales Canisius concinnavit, de facili confecturum. Sed de hisce cimeliis aliàs, ubi excussa penitiùs ac perlustrata Bibliothecæ Paulinæ adyta à me fuerint. Consisto enim, nunc qvidem, in vestibulo illius, nec qvicqvam in votis ac desideriis habeo magis, qvàm ut primo qvoqve die in penetralia ipsa, acceptis clavibus & Catalogis, intromittar. Gratias intereà DEO ter. Opt. maximo ago devotissimas humillimasqve, qvòd, cùm φιλόβιβλος qvidem, at ἄβιβλος tamen fuerim, ita rebus meis pro clementia sua sit moderatus, ut in hunc usqve diem haut defuerint, qvi indigentiam meam & Bibliothecarum apertura & librorum optimorum communicatione non inviti supplêrunt. In Patria enim Schola, qvæ Cygneæ floret, Daumiū mihi excitavit, Philologū etiā apud exteros Clarissimum, in hac Alma autē duum Viros Celeberrimos Franckensteinium & Thomasium, Præceptores antehàc & Hospites benevolētissimos, nunc Compatres & Collegas longè honoratissimos, qvi Bibliothecas, qvibus gaudet, instructissimas pulsantibus his Musulis meis nunqvam non recluserunt. Deniqve & Procerum Academicorum sic inflexit direxitq; animos, ut, qvoniam ipsâ senectute jā laborat venerandus Facultatis nostræ Senior, & Bibliothecarius benè meritissimus Ittigius, Bi-

 blio-

bliothecæ Paulinæ curam unanimi ſuffragiorum calculo mihi deſtinarent. Sit nomen tuum, ô Domine, pro his & aliis beneficiis benedictum, ſit usqve & uſq; benedictum! Deinde & Patribus Academiæ Conſcriptis tàm abſentibus qvàm præſentibus gratias ago nuncupoqve maximas, qvòd eruditionis omnis ſedē illam, illud ſapientiæ domicilium, illud literarum ſacrarium, Bibliothecam, inqvam, Paulinam diligentiæ curæq; meæ commendare ſuſtinuerunt; & qvemadmodum regno veluti cuidā admotus ab illis mihi videor, ita ſanctè ac religiosè in hoc publico conſeſſu promitto ac recipio, me (ſi vitam viresq; indulſerit divinum Numē,) illorum nihil facturum reliqvi, qvæ ad Bibliothecarii munus ritè & cum fructu obeundum pertinere qvoqvo modo videbuntur. Alexandrum certè Syncliticum non agam, qvi Bibliothecam Patavinā ſibi concreditam, Thomaſino referente, vix bis in anno inviſebat, qvin potiùs Mediolanenſis Bibliothecæ Cuſtodes imitabor, qvos confluentibus ſingulis ſemper præſtò fuiſſe ſcribit Petrus Bombinus in epiſtola ad Leonem Allatium, vel Matthæum illum Wilhelmum, Auguſtani Gymnaſii Rectorem & Bibliothecarium pariter, qvem ſingulari humanitate ſine ullo tædio occurrere omnibus, juvare omnes, & Bibliothecæ ſuæ emolumentum procurare Spizelius non degener ejus diſcipulus atteſtatur.

ſtatur. Decæterò cùm Catalogorum atqve indicum juſtorum neceſſitatem atqve utilitatem probè norim, vel principe omnium loco, ſi qvidem DEO & ſuperioribus viſum fuerit, de Catalogis complendis, imò & publicandis cogitabo, hautqvaqvam deſperans fore, ut hoc veluti magnete non pauci Studioſorum ex diſſitis etiam locis ad hanc Almam uti Salmaſius & Meurſius Heidelbergam, pertrahantur. Præterqvam enim, qvod Catalogi ad notitiam librorum comparandam mirificè faciunt, & vel ſolis voluminū titulis polymathiæ conſecraneos demulcent, etiam illud literarum omnium cultoribus inſinuant, qvi Codices expectari ex Bibliotheca & depromi in commodum eruditionis poſſint; qvam ipſam ob cauſam & Franciſcus Schottus Vaticanæ Bibliothecæ Indices, & Illuſtris Boirneburgius Auguſtæ Gvvelpherbytanæ Catalogum tàm crebrò tamqve anxiè deſideravit. Sed hæc omnia ſuo tempore & loco. Salve intereà mihi, ſalve iterum atqve iterum, Bibliotheca Paulini Collegii laudatiſſima. Tu regnum meum poſtideà eris, tu reſpublica mea. Qvot ambulacra habes, tot provincias numerabo, qvot pulpita, tot oppida, qvot libros, tot Cives, eosqve partim liberos, partim ferreis vinculis alligatos, ſed & hos brevi in libertatem aſſerendos. Tametſi enim exiguum Bibliothecarii munus, & ſi ex ſalario metien-

tiendum ſit, vix commemorandum videatur, mihi tamen longè maximum imò regium eſt, qvi cætera omnia præ plurimarum rerum inveſtigatione honeſtoqve otio ſuſqve deqve habeo. Accedit, qvòd Bibliothecarii partes etiam ſummæ dignitatis & ſapientiæ Viri, qvorum vix umbra ego videri poſſim, ſuſcipere non dubitârunt. Et qvis neſcit Terentium Varronem Romanæ, Demetrium Phaleræum Alexandrinæ, Albinum Flaccum Caroli M. præceptorem Eboracenſi, Marcum Antonium Sabellicum Marcianæ apud Venetos, Platinam, Auguſtinum Steuchum, & Baronium Vaticanæ præfuiſſe? Qvid? qvod Abyſſini, ſi Hottingero credas, Regem ſuum per traditionem Clavium Regiæ Bibliothecæ inaugurare ſolent, in vaſtiſſimo hoc regno nihil illuſtrius atqve auguſtius libris eſſe non obſcurè innuentes. Mea itaq; Dan. Heinſii, Bibliothecarii Leidenſis verba facio: *Ego, quoties Rempublicum hanc meam, cui me præeſſe voluiſtis, cùm illuſtres illos Cives hîc contemplor, quorum corpora naturæ conceſſerunt, animarum autem in hoc ipſo loco vultûs ac imagines ſervantur, fieri non poteſt, quin hilaritate maximâ perfundar, quin tranquillitatem meam regnis aliorum & potentiæ opponam.* Regnum qvippe meum es, ô Bibliotheca, nec Regnum tantùm, ſed & Tuſculanum meum, Putheolanum meum, Pauſilypum meum, & cum Johanne Cratone ut

loqvar,

loqvar, trium Imperatorum Archiatro, Rucurianum meum [hâc enim hybridâ voce per jocum vocabat prædium suum in comitatu Glacensi Bohemiæ situm, memorante in ejus vita Dressero, eò qvòd qvietem seu respirationem à curis significaret] Rucurianum, inqvam, meum eris, cùmqve ANNA DOROTHEA mea heu nimis citò lateri & cordi meo avulsa, heu in ipso puerperio ærumnabili & internecivo erepta, immanem mihi dolorem tristissimumqve desiderium reliqverit, eris & nepenthes meum, myrothecium meum, vel ab initio ut dicebam, ἰατρεῖον τῆς ψυχῆς, h. e. Medica animæ officina. Verbo:

Bibliotheca meum regnum, templum atq; Lyceum,
Quin eris antidotum Bibliotheca meum.

DIXI.

Præmissâ hâc Oratione Bibliothecariatûs Paulini velut auspicatoriâ renunciati sunt

CANDIDATI XIX,

Quorum nomina non subjungere non possumus.

I. Johannes Wilhelmus Pauli, Lipsiensis.
II. Gothofredus Mathesius, Oederâ Misnicus.
III. Johannes Jacobus Cramerus, Lipsiensis.
IV. Gothofredus Christianus Hausius, Glauchâ Misnicus.
V. Johannes Bartholomæus Freiesleben/ Steinpleisâ Misn.
VI. Christianus Ihlius, Elstertrebnicensis Misnicus.
VII. Johannes Brockmeyerus, Torgâ Misnicus.
VIII. Georgius Wernerus, Weidâ Misnicus.
IX. Johannes Beye/Amsdorffio-Mansfeldensis Saxo.
X. Gothofredus Thileman, Wurzenâ Misnicus.
XI. Johannes Christianus Feuereisen/Grimmâ Misnicus.
XII. Christophorus Joachimi, Grosengrefendorffensis Misnicus.
XIII. Ernestus Fridericus Schlegelius, Laubâ Lusatus.
XIV. Johannes Fridericus Jünger/ Misenensis.
XV. Christianus Apelius, Mülhusâ Thuringus.
XVI. Immanuel Gerberus, Colmensis Misnicus.
XVII. Gothofredus Cæsar, Risâ Misnicus.
XIIX. Christianus Schultzius, Halâ-Saxo.
XIX. Johannes Fridericus Henningka, Curiâ Variscus.





CATALOGUS I.

MANUSCRIPTORUM MEMBRANACEORUM BIBLIOTHECÆ PAULINÆ.

LIBRI THEOLOGICI,

Pulpito I.

No. IV. Biblia Latina.
No. 5. Bibliorum latinorum cum glossa pars I.
6. Eorundem pars II.
7. Eorundem pars III.
8. pars IV.
9. pars V.
10. pars VI.
11. pars VII.
15. Concordantiæ Bibliorum latinæ.
18. Glossa ordinaria in qvatuor Evangelistas.
19. Biblia latina.
20. Biblia latina à moniali qvadam scripta.
26. Hugonis Compendium Theologiæ.
36. Alanus Cistercienfis de modo prædicandi.
Ejusdem Sermones,
Smaragdi Diadema Monachorum &
Sermones cujusdam Anonymi

Pulp. II.

No. 58. Gregorii Moralium pars I.
59. pars II.
60. Honorii Presbyteri Opera,
61. Isidorus de summo bono,
Ejusdem Synonyma.
62. Ejusdem Etymologiarum lib. XX.
65. Richardus de XII. Patriarchis.
Beda de temporibus.
66. Haymon super Apocalypsin
67. Rabanus in libros Regum,
81. Petri Cantoris Parisiensis liber.

Inter Hebraicos ejusdem Pulpiti.

N. 20. Liber Grammaticus Mosis Kimchi.

Pulp. III.

N. 13. Albertus super Esaiam
55. Alani Sermones.
71. Augustini de Ancona super Matthæum.

72. Ejusdem super epistolas Canonicas.

Pulp. IV.

No. 29. Theophylacti Comment. in epist. Paulinas & aliorum Græcorum Patrum scripta miscellanea.

30. Theodori Studitæ Homiliæ Græcæ.

Ejusd. Pulp. libri in 4to & octavo.

No. 1. Codex Græcus Josephi,

77. Claudianus de substantia animæ.

78. Boëtius de Trinitate.

79. Itinerarium Clementis Papæ.

80. Anshelmi de orationibus & meditationibus.

83. Byardi Sermones.

84. Sermones Contracti de tempore.

85. Liber de Sanctis.

87. Conradinus de Sanctis.

90. Speculum peccatoris.

Pulp. V.

No. 10. Summa Vitiorum.

33. Dionysii Hierarchia.

Johannis Damasceni opera de orthodoxâ fide.

35. In Apocalypsin & Cantica Salomonis commentarius.

Pulp. VI.

No. 2. Francisci Reccæ commestorium vitiorum.

31. Haymo in Apocalypsin.

34. Scotus in qvartum sententiarum.

47. Dionysii Opera.

In inferiore pulpito uno.

N. 53. Bertrandi Sermones de tempore.

54. Berrholdi Sermones de Sanctis.

55. Bertrandi de Communione sanctorum.

Excerpta de summa Raymundi.

57. Ejusd. Sermones de tempore,

58 de sanctis.

59. Statuta ordinis S. Benedicti.

In inferiore Pulpito altero.

61. Calendarium & regula S. Benedicti Abbatis.

63. Effrẽ liber de Compunctione animæ.

65. Smaragdus seu Diadema Monachorum.

70. Summa Gothofredi.

72. Sermones de Virgine Maria.

Pulp. VII.

No. 1. Augustini de Civitate Dei.

2. Ejusdem de Civitate Dei,

3. Ejusdem - -

4. Ejusdem - -

6. Augustinus de Trinitate

7. Ejusdem de Trinitate.

Enchiridion.

22. Ejus-

12. Ejusdem Compendium Philosophiæ moralis.
13. Sermo de Augustino.
15. Augustinus de libero arbitrio.
de Magistro liber primus.
16. Ejusdem Sermones II. de paschate
Ejusdem super Genesin.
17. Ejusdem de baptismo.
- - de unico baptismo.
- - - Contra 5. hæreses.
18 Ejusdem de Sermone Domini in monte facto.
Vita.
de vita beata liber.
19. Ejusdem de Sermone in monte.
in epistolam Johannis
20. Ejusdem in primam partem Psalterii.
in secundam
in tertiam
23. Ejusdem in Psalmos pars I.
24. - - - pars II.
25. - - - pars III.
26. - - - pars IV.
27. - - - pars III.
28. - - - pars IV.
29. - - - pars V.
30. - - - pars VI.
31. Ejusdem in Psalterium.
32. in Psalmos.
33. in secundam Qvinqvagenam Psalmorum
34. libri Confessionum,
de videndo Deum
Hildeberti Cenomanensis Vita Mariæ Ægyptiacæ.
35. libri Retractationum,
de præsentia DEI.
epistolæ ad diversos
36. in Johannem.

In inferiore pulpito.

37. Statuta Monachorum.
43. Rationale Divinorum Officiorum.

Pulpit. IIX.

No. 6. Augustini libri 13. de Confessione
lib. de Domo disciplinæ Domini
de videndo DEUM.
7. Ejusdem de doctrina Christiana.
de fide
de Ecclesiasticis regulis.
8. Ejusdem de doctrina Christiana.
de agone ad Christum
de fide ad Petrum
9. Contra Academicos de vita beata.
de ordine rerum
10. Super Genesin
liber de Genesi contrà Manichæos.
11. Ejusdem contra Faustum
Arrii Disputatio
Augustini contra Arrium & Maximinum

12. Ejusdem de consensu Evangelistarum
14. de unico Baptismo
16. qvæstiones super Vetus & N. Testam.
17. de Spiritu & anima
18. Commentarius in Evangelium Lucæ
19. Augustini de doctrina Christiana
Index Hebraicorum nominum
21 Epistolæ qvædam Augustini

27 Hieronymi Epistolæ
28 Epistolarum pars I.
29 pars II.
30 Epistolæ Hieronymi
31 Registrum in epistolas ejusd.
33 Hieronymi super Esaiam
Liber Hebraicarum qvæstionum
34 Ejusdem super Esaiam
Liber locorum
Interpretatio Hebraicorum nominum
35 Ejusd. super 4. Evangelistas
36 in Psalmos
37 de essentia Dei
Catalogus omnium Evangeliorum
44 Ambrosii liber de immaculatis
45 Hexaëmeron
de Paradiso
de sacramentis
sermo pastoralis.
46. Ejusdem super Psalmum: Beati immaculati &c.
Hexaëmeron.

Collocati in inferiore pulpito.

48. Liber remediorum
50 Tractatus de motu cordis.
53 Liber moralis
59 Liber collationum
60 Liber consvetudinum
62 De Nativitate Domini.

Pulp. IX.

No. 4. Gregorii in Ezechielem
5, 6, 7, 8, 9, 10. Ejusdem in Ezechielem.
11 Ejusdem Dialogi
Petri Damiani Opus
12 Moralium Gregorii pars I.
14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. Gregorii Moralia.
32 Index Moralium Ejusd.
33 Dialogi & Sermones ejusdem.
34 Ejusd. Dialogorum libri IV.
35 Homiliæ
36 Epistolæ
Tractatus de somniis.
37 Ejusd. in Cantica Canticorũ.
Bedæ in Cantica.
Epistola Jacobi cum Glossa, ut & alia.
38. 39. 40. 41. 42. Ejusd. Dialogi.
43. 44. 45. 46. 47. Ejusd. Pastorale

In

In pulpito inferiore.

55. Heinrici de Palma tractatus.

Pulpito X.

No. 7. Bernhardi Opera
8. Ejusdem
11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. Bernhardi Opera.
20. Flores ex Bernhardo excerpti.
21. Bernhardi epistola ad Carthusienses de duplici vita bonorum & malorum
Richardi Abbatis de Sancto Victore de contemplatione.
No. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. Origenis Opera.

Collocati in inferiore Pulpito.

47 Flores sanctorum Doctorum.
48 Pharetra.
50 Sermones de Sanctis
51 Cassiani flores
52 Sententiarius
56 Innocentius de Officio altaris
57 Sermones varii
Summa Innocentii
58 Sermones varii Richardi.

Pulpito XI.

No. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. Hugonis Opera varia.
23. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. Thomæ Aqvinatis Opera.

In inferiore pulpito.

39 Alphabetum prædicantium.
40 Liber de sacramentis
Elucidarius.
41 Summa Confessionum
46 Summa de Casibus
47 Alberti M. annot. super: Missus est Gabriel.
48 De Officiis Missæ & pœnitentiis.
50 Liber de Vitiis
51 Sermones de Sanctis
52 Dialogus Conscientiæ & rationis.
57 Hugo de substantia animæ,
Medicinalia qvædam.

Pulp. XII.

1. 4. 5. 7. 8. 12. 13. Thomæ Aqvinatis opera varia.
15 Tabulæ super Thomæ Opera.
29 Bonaventuræ Opera varia.
31. 32. 33. 34. 35. 36. 38. 39. 40. 41. 42. 43. Textus Magistri sententiarum
44 Commentarius in 4. libros sententiarum
Commentarius in Apocalypsin Johannis,
45 Thomistarum Clypeus
Thomas de perfectione vitæ Spiritualis,
Sermones solennes.

Pulp. XIII.

4 Gersonis qvædam

6 Richardus super 4. sententiarũ
7 Moralis expositio in V. libros Mosis.
Sermones in majoribus festivitatibus.
Richardus de contemplatione
Soliloqvium ejusd.
Postilla in Cantica Canticorum.
10 Bedæ de tabernaculo libri 3
Rabanus in Judith
Alia Rabani aliqvot Chronica.
11 Bedæ libri de Templo
Isidori testimonia.
16 Albertus super Lucam
21 Jacobi de Sanctis.
22 Tertia pars de Sanctis
23 Lectura notabilis super Apocalypsin, cum aliis.
24 Raynaldus in Johannem,
25 Ludigeri liber Azymorum
30 Petrus de Tarantasia in I. sententiarum
31 Ejusdem in II. sententiarum
33 in III.
34 in IV.
36 Bernhardus Lombardus super Petrum Lombardum
37 Johannis de Neinoldis Qvodlibet.
39 Qvadragesimale
42 Commentaria in Marcum scripta
43 Thomæ Argentinensis Compendium Veritatis Theologicæ.

Pulp. XIV.

2 Summa Vitiorum,
3. 4. 5. Summa Virtutum
6 Summa vitiorum Fr. Wilhelmi.
7 Gregorii Pastorale
8 Summa virtutum ac vitiorum
Speculum B. Virginis
Passionale de Sanctis
10 Heinrici de Gandavo Qvodlibet
12 Henrici Prædicatoris Qvodlibet
13 Qvodlibet.
15 Varro super IV. sententiarum
22 Heinrici de Gandavo qvæstiones Theologicæ.
17 Petri Cardinalis Alphabetum in artem sermocinandi.
28, 29, 30. Matthæi Cisterciensis Opera Varia
31 Calendarium & Regula S. Benedicti.
39 Hugonis de contemplatione vitæ Jesu
Ejusd. in regulam Benedicti.

(NB. Hic saltus nobis faciendus est à pulp. XIV. usqve ad XL, in qvo libri Theologici continuantur. Nam in pulpitis XV, XVI, XVII, XVIII, XIX, XX. Libri Juridici, in XXI, XXII, XXIII, Libri Medici, in reliqvis usqve ad XL. Libri Philosophici ac Philologici ex veteri dispositione sunt repositi.)

Pulp. XL.

7 Libri inqvifitionis hæreticæ pravitatis
17 Legenda Auguftini
22 Gregorii militis Vifiones
23 Examen B. Ambrofii
24 Revelationes Brigittæ
25 Arnalfeldi lecturæ fuper librũ fapientiæ pars I.
26 Ejusdem pars II.
29 Contemplationes Animæ
Revelationes Brigittæ
34 Hugonis Parifienfis Clauftrũ animæ
35 Exorcifmi variarum rerum
41 Gifelbertus in Paulum
Gloffa ejusd fuper Paulum
42 Heinricus de Sirmaria de Sanctis.

Pulp. XLI.

75 Petri Cantoris Parifienfis fumma.

Pulp. XLII.

3 Huguitio
4 Britto cum interpretationibus terminorum,
9 Britto major
13 Codex continens determinationes de Conditione laicali
14 Poftilla Fratris Nicolai de ordine minori fuper prophetas & Apocalypfin
15 Biblia Saxonicis verficulis reddita.
16 Sermones Germanici
17 Elementarium Veteris & Novi Teftamenti
18 Sermones Ungarii de Evangeliis.
Expofitiones hymnorũ
Tractatus diverfi.
32 Precationes Mifnicæ & Saxonicæ, eæqve rythmicæ
27 Diftinctiones Nicolai Biardi.

In inferiore pulpito.

38 Explicationes terminorum Biblicorum
39 Diftinctiones Nicolai Biardi
41 Liber diftinctionum
43 Excerpta ex libris diftinctionum M. Cardinalis.
44 Dictionarium Gvidonis cum aliis
46 Diftinctiones Nicolai Biardi.

Pulp. XLIII.

2 Malogranatum
3 Malogranati I. & II. pars
4 Ejusdem pars III.
5 Malogranatum Dia'ogum inter patrem & filium complectens.
7 Homiliarii de fanctis pars I.
8 pars I.
9 pars II.
10 pars III.
11 pars IV.
18 Sermones Petri Lambanti & alia.
20 Sermones folennes Innocentii III. Papæ.
21 Ejusdem fermones

26. Pe-

26 Petri Manducatoris sermones.
28 Sermones de tempore Christi
31 Sermones de tempore
